UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Processiones in Deiparæ honorem decreta, num. 39

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

CONCIONES A SALVTATIONE *Angelica inchoantur.*

Cur ab Angelica ſalutatione cõciones inchoentur.

38 COncionatores, vt ex ſuis Concionibus vberem animarum fructum referant, diuinam gratiam per Deiparam implorare ſtudẽt, ideoque vna cum populo ſuas à ſalutatione Angelica conciones auſpicantur, huius piè cõſuetudinis meminit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24 § 3. *Omnes,* inquit, *ſermocinantes & prædicantes Chriſticolis exordium pro gratia impetranda à ſalutatione Angelica faciunt.* ſic ille.

S. Dominicum Deipara monet, vt ad Roſarij recitationem alios hortetur.

Huius ratio peti poteſt ex quadam reuelatione facta S. Dominico. Is cum in regione Toloſana Galliæ Narbonenſis concionaretur, nec quicquam fructus ſpiritualis colligeret, cum ſacratiſſima Virgine ea de re expoſtulauit, quæ cum ſancto viro aliquando apparuiſſet, ei dixit; *Dominice fili nihil mireris, quod concionando minimè proficeas: enim vero arcas ſolum a pluuia non irrigatum. ſcitoque cum Deus renouare decreuit mundum, ſalutationis Angelica pluuiam præmiſit. ſicque orbis ipſe in melius eſt reformatus, hortare igitur homines in concionibus ad Roſarij mei recitationem, & magnus dehinc animarum fructus conſequetur, quod ſanctus Dominicus ſtrenuè executus, vberes ex ſuis concionibus animarũ fructus retulit.* hæc ex miraculis Roſarij, quæ in libro Roſarij italicè habẽtur: ita proportione quadã in ſermonib ad populũ præmittitur ſalutatio Angelica, vt hac cœleſti pluuia terra cordis noſtri arida irrigetur, & fructum diuino beneficio per Virginem impetratum, vberiorem ferat.

Liber miraculorum Roſarij B. Virg.

PROCESSIONES IN DEIPARÆ *honorem decretæ.*

Proceſſiones in B. Virg honorem cur & quibus diebus celebrari cõſueuerint. S. Antoninus.

39 OCtauo, huc referuntur Proceſſiones, quæ in Deiparæ honorem fiunt, tum in vniuerſali Eccleſia, tum in peculiaribus locis, vel Religioſorum familijs aut piorum hominum ſodalitatibus. Eiuſmodi eſt proceſſio illa in Eccleſia quotannis inſtituta in die Purificationis cum accenſis cereis: *Quæ,* vt ait S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. *fit in honorem B. Mariæ per correſpondentiam ad diem in Ramis palmarum, nam ſicut tunc portantur rami oliuæ cum palmis in ſignum victoriæ Chriſti de morte per reſurrectionem, oſtendentes etiam nos victoriã de vitijs per pœnitentiam ad vitam gratiæ reſurrexiſſe, ita in die Purificationis candelas accenſas geſtamus in manibus, lumen ardentiſſimæ charitatis Virginis deſignantes, & eam viuam in noſtris operibus habere proteſtantes.* hæc S. Antoninus, qui adijcit: *Quemadmodũ in Aſcenſionis Dominica die in honorem Chriſti fieri proceſſio conſueuit, ita & in virginea Aſſumptionis die fieri ſolitam eſſe proceſſionem in Deiparæ honorẽ, cum tota cœleſtis curia, vna cũ Chriſto filio obuiã ei proceſſit ad recipiendam in Cœlum, thronoque collocandam ſuo.* Ad hæc teſtatur Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap 25. Proceſſiones, quæ Dominicis diebus fieri conſueuerunt ad Deiparæ oratorium primum omnium tendere; loquens enim de Reſurrectione Domini: Rectè, *inquit,* à maioribus noſtri ordinis traditum eſt, & quaſi pro lege fixum conſeruatur, vt in proceſſionibus, cunctis per annum Dominicis, beatæ Dei Genitricis memoriam prima ſtatione viſitemus, decantando quodlibet, quod eius proprium ſit, eaque ſalutata, & oratione dicta tunc demùm proceſſionem peragamus: ſicque feruente ſacræ religionis ſtudio prouiſum eſt, ut infra clauſtrũ habeatur eiuſdẽ B. Virginis diuerſoriũ, ſcilicet ſacratũ in ipſius honore proprium nominis eius oratoriũ, quid cõuenientius quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari matri Virgini ſuper Reſurrectione vnigeniti? hactenùs ille. Huc ſpectant Proceſſiones ſodalitatis Roſarij, quæ prima cuiuſque menſis Dominica apud Religioſiſſimum Prædicatorum Ordinem fiunt, & aliæ eiuſcemodi diuerſis in locis.

Rupertus.

STATIONES AD DEIPARÆ *templa.*

NOno, ad hoc caput ſpectant etiam ſtationes, quæ cùm in Vrbe Roma ad multa, diuerſaque decreta ſint templa; multò plures ad Deiparæ, quàm ad aliorum templa aſſignantur, & vt miſſa faciam templa ſanctæ Mariæ Tranſtiberim S. Mariæ in Dominica S. Mariæ ad Martyres ſtationibus inſignia, certè quemadmodum obſeruauit Onuphrius lib de ſeptem Eccleſijs: Nullum planè templum (ſi vnũ S. Petri in Vaticano excipias) tot ſtationibus æquè eſſe inſignitum, atque ædem S. Mariæ Maioris, ad quam tum ſtationes numero quindecim numerantur ab Onuphrio, tum potiſſimùm ea, quæ in ſacro Paſchatis die ibidem ea de cauſa celebratur, quod, vt aduertit 40

Stationes ad Tẽpla Deiparæ Romæ.

Onuphr.